

quia nemo hanc obtinere potest, nisi per meritum Christi. 4° Ostium gloriae, quia nemo ad hanc intrare poterit, nisi ipse celos reserasset. Incitentur proinde Auditores, ut de Christo dictum potent illud Prov. vii. Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie, et observant ad postes ostii mei; qui me invenerint, invenient vitam, et haurient salutem a Domino. Vide Fabrum conc. 9. lit. C.

V. Ex occasione thematis: *Ego veni, ut vitam habeant*; explicari possunt reliqua quatuor dona Spiritus Sancti, videlicet. 1° *Consilii*, quo instrumur, priusquam magnum aliquid, et periculosum aggrediamur, definiamus, mandemus, loquamur. 2° *Donum Fortitudinis*, quo corroboratur cor nostrum, quodvis temporale damnum pati velimus, ne aeternum incurramus. 3° *Donum Pietatis*, quo excitat nos Spiritus Sanctus ad religionem, et amorem cultus divini, necnon ad curam proximi, emolliens cor nostrum, ut Dei voluntati, ac culti se submittat, et ad proximum inclinet. 4° *Donum Timoris*, quo immittit in cor varia argumenta, quae superbiam, et vanitatem nostram retundant, ac timere Deum faciant. Vide Fabrum ser. 2. post Pent. conc. 4. lit. EFGH.

VI. Ex eodem themate ostendi possunt media ad artem recte loquendi, per quam vel maxime vita anime abundantius acquiritur, addiscendam; quorum primum est *oratio*, per quam dicitur cum Davide Ps. cxi. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Secundum *silentii amore* nemo enim secure loquitur, qui non libenter tacet. Tertium *consideratio*, ut Sanctus Augustinus suavitatis dicens: Omne verbum prius veniat ad limam, quam ad linguam. Quartum *multa* pro transgressionibus imponenda, ita ut cum Seneca dicitur: Ego mihi irascor, et ego a me poenas exigam. Quintum *radicis extirpatio*, quae est, teste Th. Kempensi lib. 1. cap. x. quod per multas locutiones consolari ab invicem quaerimus, et libenter de his, quae multum diligimus vel cupimus, vel contraria nobis sunt, loquimur. Vide tit. Lingua.

PRO FESTO TRINITATIS ET DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

I. Ex occasione thematis: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et*

Filii, et Spiritus Sancti. MATTH. xxviii. Potest 1° ostendi, quam merito mysterium SS. Trinitatis credatur, tum ob figuras veteris Testamenti, tum ob textus novi, tum ob miracula hunc in finem edita. 2° Cur quisvis Christianus eam profiteri debeat. Nempe quia haec confessio est nostra tessera contra infideles: est scopus, et regula nostrarum actionum; unde dicitur: Gloria Patri, etc. est clypeus contra Demones: est cythara laudis divinae, per quam cum Angelis canimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc. Vide tit. Deus et Fabr.

II. Ex eodem themate ostendi potest 1° Cur hoc Festum a Christianis summa cum devotione sit celebrandum; quia scilicet est Festum omnium trium Personarum, atque adeo celeberrimum. 2° Quomodo debeat celebrari, nimirum firmiter eam credendo, firmiter in eam sperando (quia potest juvare propter potentiam Patris, et scilicet juvare propter sapientiam Filii, et vult juvare propter bonitatem Spiritus Sancti) atque adeo semper cogitando, quae placeant illi propter Patrem, loquendo propter Filium, operando propter Spiritum Sanctum. Vide loc. cit.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo SS. Trinitati perpetuum *Gloria Patri*, aut *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cani possit, si videlicet omnes cogitationes, verba, et opera purissime ad majorem Dei gloriam referantur; aut si semper facere studeamus, quae Deo magis placent, quomodo magis placent, et quia magis placent. Ostendatur proinde, quam excelsus, Deoque gratus, atque adeo, et nobis utilis futurus sit hic modus colendi Sanctissimam Trinitatem. Deinde quomodo hic ipse modus practice usurpari possit, et debeat.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendatur, quod homo peculiari ratione obligatur ad colendam Sanctis Trinitatem, eo quod creatus sit ad imaginem ejusdem; quem enim magis amaret imago, si posset, quam illum, cujus est imago? Ostendatur ergo 1° Vel ex ipso corde triangulari, atque anima, tribusque potentiis, quod creatus sit ad imaginem Sanctissimae Trinitatis; dein quomodo imaginem hanc venerari, mundam conservare, et ubi opus fuerit, renovare debeant.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo quisvis Christianus hoc die imitari debeat servum illum, qui a Domino suo ad conventum Daemonum ductus, et

Lucifero homagium praestare jussus, renuit id facere, dicensque: Reddo me Sanctissimae Trinitati, Patri, Filio, et Spiritui Sancto: totum conventiculum dissipavit. Ostendatur proinde, quomodo quisque se reddere Sanctissimae Trinitati debeat, videlicet 1° Per seriam detestationem vitae praeteritae. 2° Per novum propositum, serio, et constanter illi serviendi. 3° Per novam oblationem omnium suarum actionum ad majorem gloriam ejusdem Sanctissimae Trinitatis.

VI. Ex eodem themate ostendatur, cur quisvis homo se totum Sanctissimae Trinitatis obsequio cum summa fiducia consecrare debeat ob tria attributa eidem specialiter convenientia, scilicet ob potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus Sancti; de quibus vide Fabr. conc. 5.

VII. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* MATTH. xxviii. Potest explicari pro capacitate Auditorum mysterium Sanctissimae Trinitatis, et causae afferri, cur illud firmiter credere, et profiteri debeamus; de quo vide tit. Deus.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur hoc Festum praeter omnibus Festis devote sit celebrandum; et quomodo id ipsum aptissime fieri possit; de quo vide I. cit.

IX. Ex eodem ostendi potest, quam grata sit Deo laus illa Ecclesiae, qua canit: Gloria Patri, etc. et quomodo Auditores perpetuum *Gloria Patri*, aut *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. juxta Sanctorum Angelorum exemplum canere possint; de quo vide tit. Deus.

X. *Cujus est imago haec?* MATTH. xxii. Ostendi potest hominem esse imaginem Sanctissimae Trinitatis, et inde inferri, quanto in honore haec imago habenda, quam sollicite ab omni macula per peccatum contrahi solita custodienda, quantosque ob hunc cultum fructus quisque sperare possit. Vide tit. Anima.

XI. Ex eodem narrari potest historia ex speculo magno exemplorum de servo, qui a Domino suo ductus ad Daemonem, eique se mancipare jussus, ubi audivit, abnegandum sibi Sanctissimam Trinitatem esse, in haec verba prorupit: Reddo me Sanctissimae Trinitati: sique Daemonem fugavit. Inferatur subinde quid idem quisvis homo facere debeat, idque propter Potentiam Patris, Sapientiam Filii, et Bonitatem Spiritus Sancti quae tres proprietates ab iis, qui servire

cupiunt, in Dominis requiruntur. Vide cit. tit. Deus.

XII. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* MATTH. xxviii. Ostendatur, quomodo SS. Trinitas semper sit nobiscum. 1° Per *immensitatem, et praesentiam*; unde excitandi Auditores, ut quod S. Bernardus de S. Angelo Custode dixit: « In omni angulo Angelo tuo reverentiam habe, nec audeas ille praesente, quod me praesente non audeas, » multo magis erga SS. Trinitatem observetur. 2° Per *potentiam*, adjuvando, et protegendo nos, unde fiducia concipienda, iterumque applicandum, quod Sanctus Bernardus de Angelis dixit: Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, tantum adhaeremus eis, etc. 3° Per *sapientiam*, dirigendo nos, unde providentiae illius omnia committenda, omnisque sollicitudo in illum projicienda. Vide tit. cit. Deus.

PRO DOMINICA II. POST PENTECOSTEN

I. *Homo quidam fecit cenam magnam.* LUC. xiv. Potest ostendi, quam vere Christus in SS. Eucharistia cenam magnam apparaverit. Est enim magna in se propter cibi, et potus praestantiam. 2° Magna propter modum preparandi, nempe miracula interventionia. 3° Magna propter effectus, nam satiat, nutrit, augmentat, pinguefacit, et delectat animam plus, quam ullum aliud convivium, ut adeo merito etiam cum magno desiderio, preparatione, et devotione sumi debeat. Vide tit. Eucharistia.

II. Ex ejusdem thematis occasione dici potest, hanc cenam esse similem convivio Norimbergae per tres mensas sibi superimpositas instituto; de quo vide loc. cit.

III. Item occasione anagrammaticae, quod *Eucharistia* idem significat, ac *Cithara Jesu*, possunt effectus potiores Eucharistiae indicari, simulque quomodo haec cithara pulsari, id est, Eucharistia sumi debeat, ostendi; de quo vide loc. cit.

IV. *Et caeperunt se omnes excusare.* LUC. xiv. Afferri possunt et refutari excusationes, ob quas aliqui horrent venire ad hanc cenam; de quibus vide loc. cit.

V. *Eri cito in plateas, et vicos civitatis, et pauperes, ac debiles, et caecos, et claudos introduc huc.* LUC. xiv. Ostendi potest, quinam potissimum frequenter ad Eucharistiam accedere debeant; nimirum 1° Pauperes, qui

cupiunt in virtutibus et meritis crescere; hic enim audient illud olim S. Augustino dictum: Cresce, et manducabis me, et non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. 2º Debiles in spiritu, et variis morbis spiritualibus obnoxii; hinc enim virtus exhibet, et sanabit omnes. 3º Cæci, qui illuminati nondum intellectum in rebus spiritualibus habent; his enim merito dicitur: Accedite ad eum, et illuminamini, magisque aperientur oculi, quam Jonathæ gustato melle. 4º Claudi seu difficulter progredientes in via mandatorum et perfectionis; hinc enim magis confortabuntur, quam Elias per panem ab Angelo allatum; quæ omnia facile dilatarit et probari possunt per ea, quæ in cit. tit. dicuntur.

VI. *Introduc huc.* Luc. xiv. Dici potest, plerumque in particularibus Ecclesiis processionem solemnem in Festo Corporis Christi institutam, privatam iterum processionem institui, et hoc vel maxime esse cuius homini, cum et ipse sit templum Dei, suadendum, quomodo autem id fieri debeat. Vide loc. cit. §. 12. n. 21.

VII. Ex occasione thematis: *Homo quidam fecit cenam magnam.* Luc. xiv. potest ostendi, quod cœna hæc magna sit ipsa vita æterna seu beatitudo, quæ merito dicitur magna 1º Quia in ea reperitur omnis generis delicia, velut epula. 2º Quia ibi satietas et abundantia plenissima habetur. 3º Quia musica præstantissima, et suavissima beatorum Deum laudantium auditur. Unde excitentur Auditores ad magnum desiderium hujus cœnæ concipiendum, et ut diligenter se ad eam præparent vocationi suæ respondendo. Vide Fabrum conc. 10. lit. e.

VIII. Ex eodem themate potest Eucharistia huic cœnæ comparari, quia continet triplicis generis ferula in convivis splendidis apponi solita. 1º Ferula oculos solum delectantia, et admiranda (*bschavessen*) quia in ea plurima continentur miracula, quæ solum oculo Fidei aspicere, et credi debent. 2º Ferula solida (*Hauptspein*) quia Eucharistia animam satiat, nutrit, pinguetat, roborat. 3º Bellaria (*Confect*) quia præbet delicias Regibus, id est, qui super seipsos regnant. Vide tit. Euch. et tit. communio.

IX. Ex eodem themate potest Eucharistia comparari convivio Assueri. 1º Propter dignitatem instituentis. 2º Propter multitudinem invitatorum. 3º Propter cibos, et potum præstantissimum. 4º Propter sumptionem, ad quam nemo cogebatur, sed quisque sumebat,

quantum volebat, id est, juxta dispositionem. Vide loc. cit.

X. Ex occasione thematis: *Et cœperunt se omnes excusare.* possunt frivola excusationes, per quales aliqui a frequentatione communionis se excusant, afferri, et refutari; quarum prima est, respectus humanus: quid dicent homines? Secunda, quod Ecclesia semel dumtaxat communionem quovis anno præcipiat. Tertia consuetudinis malæ deponendæ difficultas. Quarta, quod nullus advertatur fructus. Quinta, quod frequentior usus pariat contemptum. Sexta negotiorum multitudo. Septima, quod quis non audeat amplius letus esse ob perpetuam recollectionem. Octava, quod indignus sit tam frequenti communione. Nona, quod reverentia exigat rariorem communionem.

XI. Ex occasione thematis: *Et vocavit multos.* possunt causæ afferri, cur solemnis processio circa hanc octavam instituitur, videlicet 1º Ut gratos nos pro beneficio Eucharistie institute exhibeamus. 2º Ut compensemus, quod per annum negleximus. 3º Ut aliorum injuriæ resarciantur. 4º Ut hæreticorum perfidia redarguantur. 5º Ut oppida et arces muniuntur contra hostes, exemplo S. Clare, hostes per Eucharistiam fugantis. Vide tit. Eucharistia §. 12. n. 21.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in corpus nostrum per privatam processionem introducere debeamus 1º Præferendo crucem confessionis. 2º Persicæ ornatas floribus per modestiam exteriorem, et interiorem corporis portando. 3º Musicos choros congregando per laudes Christo cantandas. 4º Angelos introducendo per varias virtutes exercitas. 5º Christum in argentea capsula per puritatem, et deaurata per charitatem, portando. 6º Proceres seu colites ad comitandum Christum invitando. 7º Ignes festivos per tormentorum explosionem excitando, id est actus charitatis erga Deum, proximum et seipsum exercitos. 8º Hymnum Ambrosianum per gratias actas cantando vel dicendo. Vide tit. cit. et Fabrum in Sylva them. 5.

PRO DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

I. *Nonne dimittit nonaginta novem oves in deserto, et vadit ad illam quæ perierat?* Luc.

xv. Ostendi potest, quanti Christus fecerit animam hominis, dum eam per tot annos, tot labores, tot cruciatus, ipsamque mortem quesivit, suoque exemplo etiam alios Pastores ad similem conatum pro animabus suscipiendum excitavit, quorum aliquot exempla ex tit. Zelus, et tit. Anima enarrari possunt. Inde inferatur, quas gratias Christo referre debeamus, scilicet nos totos ei committendo. Si enim totum me debeo, etc. tit. Passio, O quam ingrata foret ovicula, quæ a Pastore tam sollicitè quesita, et in humeros sublata, ultro desiliret, et aufugeret, lupis in prædam cessura.

II. *Murmurabant Pharisæi, et Scribæ.* Luc. xv. Potest vitium murmurationis dissuaderi, et 1º Quidem ostendi, in quo consistat, nempe quod sit injusta querela de factis aliorum. 2º Quam sit commune hoc vitium, dum passim tales murmuraciones contra æquales, contra superiores, contra ipsum Deum audiuntur. 3º Quare sit fugiendum, quia scilicet est contra charitatem, quæ jubet onera alterius portare: contra justitiam, quæ monet, ut neminem inauditum damnemus: contra prudentiam, quæ dicitur, ut medium inutile ad finem non adhibeamus; quid autem juvat murmuratio ad emendationem? Contra obedientiam, quæ monet, ut omnia de manu Dei, et Superiorum æquo animo accipiamus, dicentes eum S. David: Ohmutui, quia tu fecisti. Vide plura tit. Detractio (cui affinis est murmuratio) et tit. Judicium temerarium, quod plerumque antecedit murmurationem. Vide etiam Fabrum hic conc. 3.

III. *Quia hic peccatores recipit, et manducavit cum illis.* Luc. xv. Potest ostendi, cur quis Christianus exemplo Christi peccatores in cor suum recipere, et pro illis orare debeat. Itaque 1º Cur eis succurrere debeat, nempe quia sunt membra ejusdem corporis; quia sunt fratres eodem Christi sanguine spiritaliter progeniti, et quia miseri sunt, et in latrones infernales inciderunt. 2º Ostendatur, quomodo quis eisdem succurrere possit, nempe corde (compatiendo, et desiderando eis succurrere) ore (precaudo pro illis assiduo, et verbis, ubi licet, adhortando ad emendationem) opere (varia opera pro ipsis Deo offerendo). De quibus vide tit. Zelus.

IV. *Cum invenerit eam, imponit in humeros suos.* Luc. xv. Potest dici optandum esse, ut omnes Christiani pro sigillo haberent Christum ovem in humeris gestantem, cum inscriptione: Alter alterius onera portate,

nihil enim magis necessarium et utile ad concordiam conservandam in communitate. Ostendatur ergo 1º quomodo Superiores Subditorum. 2º Æquales equalium. 3º Subditi Superiorum onera portare debeant. Vide tit. Dilectio proximi et Thomas Kempensis l. 1. c. xvi.

V. *Ita gaudium erit in celo super uno peccatore penitentiam agente.* Luc. xv. Ostendi potest, quantum gaudium quis peccator per seriam penitentiam creare possit, Deo, Angelis, Sanctis, domesticis, vicinis, superioribus, sibi ipsi ante, in, et post mortem; simulque unum aut alterum medium ad talem penitentiam offerri, maxime ut Christo per fiduciam appropinquet. Vide tit. Penitentia, et tit. Conscientia.

VI. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perideram.* Luc. xv. Ostendi potest, quod quis peccator, qui gratiam divinam per peccatum amisit, mox illam querere debeat. 1º Ergo ostendatur; quam pretiosa sit hæc drachma. 2º Quomodo quaerenda sit, nempe per scopum contritionis, vel confessionis, aut examinis conscientie. 3º Quod non sit differenda hæc inquisitio, de quibus vide tit. Penitentia, et tit. Gratia, et Thomam Kempensis lib. iii. cap. lv.

VII. Ex occasione thematis: *Nonne dimittit nonaginta novem oves in deserto, et vadit ad illam quæ perierat.* Luc. c. xv. ostendi potest, cur animæ cura omnibus præponenda sit, nempe 1º Quia, cum ad imaginem Dei facta, et pretioso Christi Sanguine sit redempta, omnibus rebus creatis exceptis Angelis, præponderat; hinc nihil aliud prodest, si anima perdat. 2º Quia unam dumtaxat animam habemus, quæ perita, omnia perdidimus. 3º Quia anima est pretiosissimum talentum a Deo concredidit; de quo proin severissima ratio est reddenda. Vide tit. Anima.

VIII. Ex occasione thematis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* potest ostendi utilitas penitentie 1º Ob reparationem gratiæ. 2º Ob restitutionem meritum. 3º Ob restitutionem tranquillitatis conscientie. 4º Ob famam recuperatam. De quibus vide tit. Penitentia, et Fabrum conc. II. et Sylva them. I.

IX. Ex occasione thematis: *Gaudium erit coram Angelis Dei.* ostendi potest, cur Angeli gaudeant super peccatore penitentiam agente, nimirum 1º Propter Deum, cujus imago reparatur. 2º Propter Christum, cujus ovicula summe amata inventa est. 3º Propter

Spiritum Sanctum, ejus templum mandatum et reconciliatum est. 4° Propter ipsos Angelos, quorum numerus instauratur. 5° Propter ipsos peccatores, qui ab aeterno interitu liberantur. 6° Propter demones, quibus preda gratissima eripitur. Vide Fabrum conc. 9. et in Sylva them. 3.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur majus gaudium sit super uno poenitente, quam nonaginta justis: nimirum 1° Quia jucundius Deo spectaculum exhibetur per vim et victoriam a peccatore de seipso relatum. 2° Quia propter peccatores Christi incarnatio et passio, ex quibus infinita bona provenerunt, decreta est. 3° Quia peccatores hoc ipso, quod dimissa sint illis peccata multa, cum S. Magdalena plus diligunt. Vide Fabrum in Sylva.

XI. Ex occasione thematis: *Si perdidit drachmam, non accendit lucernam?* potest ostendi, quod etiam damnus ex peccato veniali ortum sit magnificendum ac reparandum, quia talia peccata multa bona auferunt, puta conscientiae tranquillitatem, favorem Dei, meriti augmentum, gratias Dei speciales, profectum in virtutibus. 2° Multa mala inferunt, puta maculam animae, imminutionem charitatis, virium animae debilitatem, dispositionem ad peccatum mortale. Vide ibid. them. 2.

XII. Ex eodem themate potest ostendi cur Deus in nobis accenderit lucernam conscientiae, nempe 1° Ut sciremus, quid agendum aut omittendum. 2° Ut retraheret a malo, et impelleret ad bonum. 3° Ut actionum nostrarum esset testis. 4° Ut esset accusator nostrarum actionum, et tutor proximi. Vide l. c. them. 5.

PRO DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

I. *Cum turbae irruerent, ut audirent verbum Dei.* Luc. v. Potest ostendi fervor turbae in audiendo verbo Christi, et afferri rationes, cur tunc tam avido audierint, simulque ostendi, quam dissimilis sit fervor in modernis Christianis, et quae cause sint hujus teporis, nimirum quia non credunt firmiter, doctrinas in concione propositas Dei verbum esse, nec simili cum intentione accedunt ad conciones; quae omnia fusius demonstrantur ex iis, quae de verbo Dei titul. 443. dicta sunt.

II. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil capimus.* Luc. v. Ostendi potest, quod plerique homines hæc verba olim in fine vitæ usurpare possint; nimirum quia plerique aut mala agunt, aut extra statum gratiæ agunt, aut sine legitima intentione; quam autem stulte agant, colligi potest ex similitudine illorum, quibus thesaurus Regis apertus esset cum facilitate auferendi inde per horam, quantum vellent, et possent; annon enim tales stulte agerent, si omnia alia agerent, quam exportarent divitias ex thesauro, etc. Sane verendum est, ne verificetur olim illud Isaiæ xvi. Mœrebunt, etc. Vide tit. Labor, et tit. Intentio, et tit. Opus bonum.

III. *In verbo autem tuo laxabo rete.* Luc. v. Potest ostendi, quomodo quisvis homo fructuose laborare possit, si videlicet in verbo Christi laborem peragat. Hoc autem tripliciter fieri potest 1° In verbo tuo, id est, per gratiam tuam, quae proin prius invocanda est, dicendo cum Ecclesia: Actiones nostras, etc. 2° Si ad honorem Christi laboremus, juxta monitum S. Pauli, 1. Cor. x. Sive mudeamus, etc. 3° Si ad exemplum Christi bene omnia agamus, ut dici possit: Bene omnia fecit. Vidit cuncta, quae fecerat, et erant valde bona. Gen. I. Vide tit. Opus bonum.

IV. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Luc. v. Possunt fructus multiplices honorum operum demonstrari, nempe meritum, satisfactorius, impetratorius, simulque ostendi, quanta consolatio, et alacritas in omnibus laboribus sit origo. Vide cit. Opus bonum.

V. *Piscatores autem descenderant, et lababant retia sua.* Luc. v. Potest examini quotidiani necessitas, et utilitas demonstrari, et ab initio quinque ejus partes breviter explicari. Vide tit. Examen Conscientiae.

VI. Ex eodem themate etiam frequentioris confessionis necessitas, et utilitas demonstrari, frivolaque nonnullorum excusationes refutari possunt. Vide titul. Confessio, maxime §. 7.

VII. Ex occasione thematis: *Cum turbae irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei.* Luc. v. Potest ostendi, cur verbum Dei liberter, et studioso sit audiendum, nimirum 1° Propter Deum, ejus Epistola est verbum Dei. 2° Propter amorem Christi, qui est increatum Verbum Dei. 3° Propter nostram necessitatem, et utilitatem, quia est signum predestinationis, cibis spiritualis animæ, miro-

theion spirituale, armamentarium animæ, et optimum instrumentum ad perfectionem acquirendam. Vide tit. Verbum Dei.

VIII. Ex eodem themate possunt proponi et solvi utiles quædam quæstiones de hac materia. 1° Cur nullum præceptum datum sit de verbo Dei audiendo. 2° Cur viva vox prævaleat mortuæ voci librorum. 3° Cur SS. Patres præferant verbum Dei Corpori Christi. 4° Quis sit triplex auditus, quem Doctores requirunt ad fructuose audiendum verbum Dei, scilicet, auditus naturæ, quo verbum suscipitur: auditus intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur: auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur. Vide tit. eod.

IX. Ex eodem themate possunt alie quæstiones circa fructum verbi divini proponi, nimirum 1° Quia fructus sit querendus in audiendo verbo Dei. 2° An semper aliquis sentiat. 3° Cur sæpe non magnus sequatur. 4° An in tali casu desistendum ab auditione. 5° An desistendum tunc a prædicatione. 6° Quomodo reportandus fructus. Quas quæstiones vide solutas in cit. tit.

X. Ex occasione thematis: *Duc in altum, et laxate retia in capturam:* ostendi potest, quomodo quisvis Christianus perfectus esse possit, et debeat. 1° Quia hanc perfectionem exigit natura, Deus, Christus, et exempla Sanctorum. 2° Quia consistit in duobus tantum præceptis: Declina a malo, et fac bonum. 3° Quia ad hæc præcepta omnes habent copiosa media, scilicet Instructores, auxilia Dei, Sacramentorum usum, exempla sociorum. Vide tit. Perfectio et Fabrum conc. 4. et Sylva them. 4.

XI. Ex eodem themate possunt proponi industrie, quibus multa, et magna merita non magno labore comparari queant, videlicet si 1° Intentio sit purissima ex solo charitatis motivo elicita. 2° Si alacritas in operibus ostendatur. 3° Si difficultates occurrentes generose superentur. 4° Si liberales nos erga Deum ostendamus. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

XII. Ex occasione thematis: *In verbo tuo laxabo rete:* ostendi potest, quantam efficaciam habeat obedientia. 1° Ad Dei beneplacitum augendum. 2° Ad meritum incrementum. 3° Ad fructum in proximi salute copiosum obtinendum. Vide tit. Obedientia.

PRO DOMINICA V. POST PENTECOSTEN

I. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, et Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum.* Matth. v. Potest hypocrisis vitium dissuaderi, et 1° ostendi, quid sit, et unde cognosci queat. 2° Quam commune sit Ecclesiasticis, et secularibus, ita ut de plurimis dici queat: Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau. 3° Quam exosum sit Deo, et hominibus. Vide tit. Hypocrisis.

II. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. v. Potest iracundia vitium dissuaderi, et 1° ostendi, quæ sit iracundia mala. 2° Quam noxia sit bonis temporalibus, corpori, animæ, societati humane, etc. Vide tit. Iracundia item Fabrum hic conc. 7.

III. Ex eodem themate possunt varia remedia ad iracundiam propriam sedandam proponi, et commendari, quæ videlicet licet tit. cit. Item apud Fabrum hic conc. 3.

IV. Ex eodem potest ostendi, quomodo ira aliena compesci possit; de quo vide tit. cit.

V. *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. v. Possunt ostendi cause, ob quas quisvis libenter, et celeriter inimico suo reconciliari debeat, quas videre licet tit. Dilectio inimici.

VI. Ex eodem themate possunt refutari frivole excusationes, quæ a plerisque afferuntur, ne inimicis suis ignoscere cogantur, quas vide tit.

VII. Ex occasione thematis: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Phariseorum.* Matth. v. potest ostendi, quam multipliciter vitium Hypocrisis regnet in mundo, et 1° apud Christianos, qui nomen sine operibus habent. 2° Apud devotos, qui factam pro vera, et solida virtute exercent. 3° Apud politicos, qui curam boni Republicæ habere præ se ferunt, cum tamen nonnisi proprium interesse querant. 4° Apud falsos amicos, qui veram amicitiam simulant. 5° Apud Religiosos, et Clericos, qui habitum perfectionem mentium, nihil minus autem opere præstant. Vide tit. Hypocrisis.

VIII. Ex eodem themate potest ostendi, in quo consistat vera justitia, et virtus, nimirum 1° ut ex bona intentione elicatur, vel ex communi motivo charitatis divini, vel ob specialem honestatem ejusque virtutis. 2° Ut

discrete eliciatur; nam discretio omnibus virtutibus modum, et ordinem prescribit. 3^o Ut constanter eliciatur, nam facta in naturam suam cito recidunt, ut ex fucata pulchritudine patet. Vide tit. Virtus, et Hypocrisis.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quam odiosum, inexcusabile, perniciosum, et curatum difficillimum, ac diabolicum sit hoc vitium, de quibus vide tit. Hypocrisis.

X. Ex occasione thematis: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*; potest ostendi, quod ira sit similis triplici lanceæ, qua Absalon a Jacobo perfoctus est, nam corpori, animæ, et rebus fortunæ tum propriis, tum alienis nocet gravissime. Dein ostendatur, quomodo contra hanc triplicem lanceam pectus triplici aere, seu lorica, scilicet consideratione longanimitatis divine, consideratione proximi, ut instrumenti iustitiæ divinæ, consideratione propriæ fragilitatis, munendum sit. Vide tit. Iracundia.

XI. Ex eodem themate possunt variæ questiones circa iracundiam proponi, et solvi. Nimirum 1^o quod sit discrimen inter iram, et indignationem. 2^o Quando ira peccaminosa sit. 3^o Qui sint gradus iræ. 4^o Quomodo ira sit usurpanda. 5^o Quibus non irascendum; quæ omnia vide tit. Ira, et Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Vade prius reconciliari fratri tuo*; potest ostendi 1^o Cur inimicitia Deo tam exosa sit. 2^o Cur Christo. 3^o Cur hominibus. 4^o Cur ipsi iracundo; de quibus vide tit. Iracundia.

PRO DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I. *Miserere super turbam.* MARCI VIII. Ostendi potest, quinam homines potissimum misereri debeant aliorum; de quibus vide tit. Misericordia.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misereri debeant, seu circumstantiæ in misericordia exercenda observandæ proponi; quas vide loc. cit.

III. Ex eodem possunt causæ, ob quas misericordia exercenda sit, proponi, et amplificari; ob quas vide tit. cit.

IV. Ex eodem possunt offerri aliquot mediæ ad misericordiam prompte exercendam; quæ vide cit. tit.

V. Ex eodem possunt afferri, et refutari excusationes, per quas aliqui se eximere volunt ab obligatione misericordiam exercendi; quas vide tit. cit.

VI. *Ecce jam triduo sustinent me.* MARC. VII. Potest ostendi, quomodo Christum movere possimus, ut necessaria sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia suppediet, si scilicet per triduum, *Fidei*, qua credamus, Deum posse, et velle juvare; *Spei*, qua ad ipsum actu confugiamus, nostramque ei necessitatem exponamus; *Charitatis*, qua mandata ejus observamus, et, quidquid Deus circa nos, ut nostra bona disponit, æquissimo animo disponamus. Hoc sane triduo si Christum sustineamus, id est, hos actus eliciamus, tanto certius sperare poterimus, ipsum dicturum: *Miserere super turbam*; quanto gratiores hi actus, quam illud triduum, sunt futuri. Vide plura tit. Fides, Spes, Charitas, Resignatio.

VII. Ex occasione thematis: *Unde ememus panem?* MARC. VIII. ostendi potest, cur et quando consilium petendum; hinc 1^o ostendatur necessitas, quia nemo sibi sapiens satis: utilitas, quia salus, ubi multa consilia: jucunditas, quia scit odoribus delectatur cor, ita bonis amici consiliis anima dulcoratur: et securitas, quia si quis sine consilio nihil faciat, post factum non penitebit. Deinde ostendatur, in quibus casibus sit maxime petendum, nimirum 1^o In lectione status. 2^o In reformatione vitæ. 3^o In tentationibus, et adversitatibus, in quibus animus perturbatus, quid agendum sit, difficulter videre potest. 4^o In gravioribus negotiis, præcipue patriæ salutem concernentibus. Vide tit. Consilium.

VIII. Ex occasione thematis: *Unde istos, quis poterit saturare panibus?* potest ostendi, quomodo homines in egestate habere se debeant, videlicet per triduum Fidei (qua credatur ipsum scire, posse et velle juvare) spei (qua auxilium ab ipso petatur) et charitatis (qua mandata ipsius observentur, et voluntas ipsius æquo animo acceptetur, nec murmuretur). Vide cit. tit.

IX. Ex occasione thematis: *Miserere super turbam*: ostendi potest, erga quos præcipue misericordiam ostendere debeamus, videlicet 1^o Erga pauperes. 2^o Erga afflictos. 3^o Erga peccatores. 4^o Erga defunctos; de quibus vide tit. Misericordia.

X. Ex eodem themate ostendi potest potissimum motivum misericordiae exercendæ,

videlicet: quod sit signum prædestinationis ad vitam æternam, idque probetur 1^o ex promissione Christi: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* 2^o Ex textibus S. Scripturæ. 3^o Ex SS. Patribus. 4^o Ex experientia, qua S. Hieronymus testatur, se nunquam vidisse mala morte defunctum, qui libenter opera misericordiae exercuit. 5^o Ex æquitate; quia conveniens est, ut, qua mensura alteri metimur, eadem et nobis Deus metiatur.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod Christus Luc. vi. dicens: *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est*; omnium doctrinarum ad misericordiam spectantium compendium exhibuerit. Nam 1^o ostendit, quomodo sit exercenda, offerens pro idea exemplum Patris æterni. 2^o Principale motivum, scilicet summam dignitatem ex eo ortam, quod Patri cælesti nos similes faciat. 3^o Medium efficacissimum suggerendo, scilicet exemplum misericordiae, quam Pater cælestis erga nos ostendit. Unde merito dicitur: *Nonne et te oportuit misereri conservi tui?* Vide cit. tit.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misericordiam metiri et exhibere proximo debeamus, scilicet 1^o dando mensuram bonam per bonam voluntatem. 2^o Conferentem per actualem elemosynam. 3^o Cogitantem per liberalitatem. 4^o Super affluentem per hilaritatem. Dein ostendi potest, quomodo vicissim accepturi simus mensuram bonam in temporalibus bonis: conferentem per augmentum gratiæ in virtutibus, et meritis: cogitantem per felicem mortem, et liberationem e purgatorio: super affluentem per copiosum gloriæ augmentum. Vide tit. 200.

PRO DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

I. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* MATTH. VII. Potest ostendi, quomodo societas malorum hominum ad ludum, computationes, luxuriam invitantium, præcipue mulierum sit devitanda: de quo vide tit. Societas.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* MATTH. VII. Ostendi potest, unde quisque colligere possit, se frugiferam arborem esse, nempe ex fructibus honorum operum, hæc autem non bona sint, debere cognosci. 1^o *Ex odore*, si scilicet in gratia, quæ sola bonum

et Deo gratum odorem tribuit operibus, sint facta. 2^o *Ex colore*, si cum diligentia, et decencia, extrinseca fiant, non obiter, non perfunctorie, non trepidæ, etc. 3^o *Ex sapore*, si cum bona intentione fiant; absque hæc enim omnia Deo ingrata, et insipida sunt. Vide tit. Intentio, tit. Gratia et Opus bonum.

III. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* MATTH. VII. Potest ostendi, quanti referat ad hoc, ut arbor bonos fructus faciat, ut ab initio bene colatur, hinc occasio sumatur ad honam educationem liberorum concionandi; de qua vide tit. Educatio.

IV. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* MATTH. VII. Potest ostendi, quos fructus a quovis homine exigat Deus; sicut enim non a quavis arbore quivis fructus, ita nec a quovis homine quævis opera exigi queunt. Ostendatur ergo, quod imprimis quivis fructus Christiano homini convenientes producere debeat; deinde opera statui suo conformia, id quod percurrendo varios status ostendatur, simulque probetur, et rationibus, et exemplis, quemvis in suo statu perfectum esse posse. Vide tit. Christianus.

V. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur.* MATTH. VII. Ostendi potest, quæ potissimum sint impedimenta, ob quæ arbores etiam alioqui bonæ fructum non faciant, nempe 1^o si inutiles rami, puta vana et sensualia desideria, inordinati amores, non præciderant. 2^o Si diu non irrigentur, ut succum attrahere queant; id est, si orationis et Sacramentorum usus negligatur. 3^o Si vermes flores et folia consumentes non auferantur; id est, si societates et occasiones malæ non deserantur. Vide tit. Oratio, tit. Societas, et tit. Concupiscentia.

VI. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* MATTH. VII. Potest ostendi imprimis, quam noxium, turpe, et indignum viro honesto, et maxime Christiano, Christi, qui est ipsa veritas, discipulum et sectatorem se profitemi, sit mendacium oris: et inde inferatur, quanto detestabilis sit mendacium vitæ; a quo tota salus, et felicitas hominis corrumpitur. Vide tit. Hypocrisis, et mendacium, et tit. Christianus.

VII. Ex occasione thematis: *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* MATTH. C. VII. ostendi potest 1^o quam convenienter homo a nonnullis arbori inverse comparetur, qua ramos versus cælum exporrigit. 2^o Quam præstans sit arbor, sive rectitudinem, sive

altitudinem, sive fecunditatem attendas. 3º Quanto studio colenda, cum arbores materiales longe viliores tanto studio colamus.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo arbor animas nostras colenda sit; videlicet 1º dando operam, ut firmas agat radices timoris Dei. 2º Ut stercoretur, vel irrigetur per Sacramentorum usum, aliaque media ad gratiam obtinendam, et retinendam necessaria. 3º Ut inutiles rami concupiscentiæ inordinatæ præscindantur. 4º Ut a vermicibus tentationum defendatur. 5º Ut Deo vel Sanctis custodienda commendetur, ut olim certis Diis commendabantur.

IX. Ex eodem themate ostendatur, ex quibus iudiciis arbor bona cognoscatur; nempe primo ex floribus honorum desideriorum. Secundo ex foliis efficacium propositorum. Tertio ex fructibus operum statui conveniuntium.

X. Ex eodem themate ostendatur, quare bonis operibus sedulo vacandum, scilicet 1º ob necessitatem, quia ex bonis operibus homo justificatur. 2º Ob utilitatem, quia opera ista sunt veræ divitiæ spirituales. 3º Ob iucunditatem, quia gaudebit homo semper vespere, si diem insumat fructuose. 4º Ob dignitatem, quia per bona opera assimilatur Deo, qui vidit opera sua, et erant valde bona: et Christo, qui omnia bene fecit. 5º Ob facilitatem, quia Deus magis pensat, ex quanto, quam quantum quis agat; hinc Christus onus suum leve, et jugum suave esse dixit. Vide tit. Opus Bonum.

XI. Ex occasione thematis: *Non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum celorum:* potest ostendi, quinam hæc verba male usurpent, nimirum. 1º Heretici, qui credunt, se per solam fidem justificari. 2º Tepidi Christiani, qui solo nomine contenti sunt. 3º Devoti Christiani, qui in solis externis signis suam devotionem ponunt. 4º Inconstantes Christiani, qui multa proponunt, pauca exsequuntur. Vide Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium:* ostendi potest, quod per hos Prophetas recte designentur Hæretici, qui vestimenta ovium gerunt, ob sequentes causas. 1º Quia semper verbis apparenter piis utuntur, dicentes se esse Evangelicos et Catholicos. 2º Quia in aliquibus articulis conveniunt cum Catholicis. 3º Quia assiduo SS. Scripturam allegant. 4º Quod quasdam doc-

trinas bonas, et laudabiles tradant. 5º Quod in quibusdam bonis operibus sint valde ferventes, verbi grat. in oratione, verbi divini auditione, eleemosyna dauda, et similibus. Quare detrahantur illis hæc vestimenta, ostendendo, quod lupi potius dicendi sunt, ob insidias veris ovibus structas.

PRO DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona sua.* Luc. xvi. Dicere potest Concionator, se miram propositionem probaturum, nempe quod avari sint maximi prodigi. Ostendatur ergo ab initio, quinam sint avari, idque per varios actus probetur; dein ostendatur, quomodo tales bona sua, quæ injuste retinent, reipsa dissipant, dum iisdem neque ad honorem Dei, nec ad salutem propriam, nec ad commodum proximi utuntur. Inferatur ergo, quam severam olim rationem sint reddituri. Vide tit. Avaritia.

II. Ex eodem themate ostendatur, quinam sint maximi dissipatores et prodigi, nempe qui tempus inutiliter transigunt, et sine fructu elabi, sinunt. Demonstratur ergo 1º quam pretiosum sit hoc tempus. 2º Quam multi sint, qui illud dissipant, id quod per varios status hominum facile probari potest. 3º Quam severam olim rationem tales prodigi reddituri sint; pro quo scopo vide tit. Tempus.

III. *Redde rationem villicationis tue.* Luc. xvi. Ostendi potest, quomodo quisvis homo librum rationem componere debeat, in una parte libri scribendo: *Accipe beneficium:* in altera: *Redde servitium:* seu quod idem est, acceptum et expensum. Ostendatur ergo, quam grande ex una parte acceptum fuerit, enumerando potiora beneficia creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, institutione Eucharistiæ, vocationis ad statum, etc. quam exiguum autem ex altera parte sit expensum, id est, quam male compensata, et ad prefixum finem usurpata ista beneficia, id quod pariter per enumerationem ostendi potest. Vide tit. Ingratitudo, et tit. Judic.

IV. *Filius huius seculi prudentiores sunt filiis lucis.* Luc. xvi. Ostendatur prudentia, et indefessa vigilantia, ac conatus secularium in assequendo sine proposito, quam ingeniose

excogitent media, et quam efficaciter ea exquantur, id quod in mercatoribus ad augendas opes, in amatoribus ad explendam libidinem, in ambitiosis ad honores obtinendos, cernere licet. Ostendatur dein, quam parum homines loborent in fine supernaturali assequendo, in spiritualibus opibus, deliciis, et honoribus quaerendis, et augendis. Vide tit. Prudentia, et Thom. Kemp. lib. III. cap. III.

V. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. xvi. Potest ostendi, quomodo misericordia sit unum ex certioribus signis prædestinationis, idque probetur iudicio Christi. MATTH. xxv. 1º Processum iudicii proponens, et misericordibus dicens: Venite Benedicti. 2º Iudicio SS. Patrum. 3º Experientia, de qua S. Hieronymus dixit: Non memini, ne legisse, mala morte fuisse defunctum, qui liberet opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. Vide tit. Misericordia.

VI. *Facite vobis amicos.* Luc. xvi. Potest misericordia erga animas Purgatorii commendari, et probari, quod hæc misericordia singulariter conducat ad conciliandum Deum, atque ad salutem nostram assicurandam; pro qua materia vide tit. Misericordia erga Defunctos.

VII. Ex occasione thematis: *Diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona illius.* Luc. c. xvii. potest ostendi, quam multi sint ejusmodi villici dissipantes varia bona. Et 1º quidem bona animæ, puta gratiam, et virtutes, scientiam, et doctrinam, honorem, et famam. 2º Bona corporis, puta formam, et pulchritudinem, robur, et valetudinem, ipsam vitam. 3º Bona fortunæ, puta divitias, nobilitatem, dignitatem, fruges; quæ omnia quomodo dissipantur, vide apud Fabrum conc. 3.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, pessimum villicum dissipantem bona domini sui esse, qui tempus dissipat. 1º Quia nihil nobilius tempore, utpote per quod Deus emi potest. 2º Quia damnum temporis irrevocabile est. 3º Quia teste Seneca, omnia alia aliena sunt, solum tempus nostrum est. Vide tit. Tempus.

IX. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos:* potest ostendi, quod amici præ aliis faciendi sint pauperes. 1º Quia potentes sunt aut ad intercedendum pro nobis, utpote ab eleemosyna comitati. 2º Quia fideles sunt, ut-

Tomus V.

pote ad ipsum usque Iudicem comitantes. 3º Quia multi sunt; impossibile autem est, multorum preces non audiri.

X. Ex eodem themate potest ostendi, per hos amicos potissimum intelligi a SS. Patribus Sanctos in cælis existentes. Utpote qui 1º sciunt juvare, utpote plenam miseriarum nostrarum notitiam habentes. 2º Possunt juvare, utpote intimi amici Dei, et sua, ac Christi merita pretendentes. 3º Volunt juvare, quia summe diligunt nos, ideoque specialiter curabunt, ut sicut ipsi recepti sunt in æterna tabernacula, ita et nos quoque in illa recipiamur. Vide tit. Sanctorum cultus et Fabrum conc. 2. lit. F.

XI. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* explicari potest, cur divitiæ mammona iniquitatis vocatæ sint, nimirum 1º Quia sæpe per iniquitatem comparantur. 2º Quia facile iniquos faciunt. 3º Quia sæpe cum iniquitate usurpantur. 4º Quia frequenter inique, et inaequaliter dispensantur; unde Auditores excitandi sunt, ut melius easdem usurpando vitium illarum corrigant. Vide tit. Divitiæ.

XII. Ex occasione thematis: *Filius huius seculi prudentiores sunt filiis lucis:* ostendi potest, in quo sint prudentiores, nimirum. 1º Quia magis seduli, et industrii sunt ad saginandum corpus. 2º Quia magis attenti sunt ad temporalia bona obtinendo. 3º Quia magis vigilant ad nocendum aliis. 4º Quia plura sæpe faciunt, et excogitant, ut tueantur sua scelera, ut defendant, et propagent hæreses. 5º Quia diligentius sibi in futurum prospiciunt de rebus necessariis in hac vita, quam justî pro eternitate. Unde infrendum cum Thoma Kemp. I. III. c. III. Erubescet ergo serve piger, et querulosus, quod illi paratiore inveniantur ad perditionem, quam tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem. Vide cit. caput, et Fabrum conc. 2. lit G. et Sylvam them. 2.

PRO DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

I. *Veniens dies in te, et circumdabunt te inimici tui.* Luc. xiv. Potest miserandus status peccatorum explicari; et 1º quidem oppugnatio, et exercio urbis Jerosolymitanae pathetice describi. Dein spiritualiter ad peccatorem applicari, dicendo quod inimici Demones circumdabunt, ne effugere possit:

15

coangustabunt peccatorum commissorum conscientia: in terram prosternent partim in desperationem, partim in mortem; et sepulchrum præcipitando: non relinquent lapidem super lapidem, auferendo omnia bona corporalia, et spiritualia, nudumque in alterum orbem rapiendo. Excitari proin possunt Auditores ad penitentiam illis verbis: Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum. Vide tit. Penitentia.

II. *Videns civitatem flevit super illam.* Luc. x. Ostendi potest, quam justas hodie causas quisque habeat super civitatem, in qua habitat, nempe 1º Quod Deus tam graviter offendatur, et tam parum colatur. 2º Quod plerique terrenis tantum opibus inhiant, nihil de futura cogitantes. 3º Quod charitas, et concordia in exilium expulsa sit, dum omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ aliorum; hinc nulla iustitia in tribulationibus, nulla fidelitas inter vicinos, et domesticos, nulla misericordia erga infirmos, et pauperes, quarum omnium causarum gravitas ex damnis facile describi potest. Vide tit. Charitas, et Justitia, et tit. Discordia.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quas alias causas homo habeat, lacrymas saltem internas fundendi; de quibus causis vide tit. Lacryme.

IV. Item ex ejusdem thematis occasione possunt effectus, et fructus piarum lacrymarum ostendi; quos vide l. c.

V. *Non relinquet in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tue.* Luc. xix. Potest ostendi, quam variis modis Deus nos visitet, nempe 1º per occultas inspirationes. 2º Per Concionatores vivos, et defunctos, id est, libros spirituales. 3º Varias tribulationes immitendo. Ostendatur proin, quomodo hæ fieri soleant, quanto cum reverentia, et promptitudine accipiende; et quam severa vindicta timenda sit iis, qui non agnoscent tales visitationes. Vide tit. Penitentia, et tit. Verbum Dei. Item Fabrum in Festo S. Joannis Baptiste conc. 7. lit. l.

VI. *Cæpit ejicere in illo et ementes, et vendentes.* Luc. xix. Potest ostendi, quantopere Deo displiceant distractiones in oratione; pro quo vide tit. Evagatio mentis. Deinde proponantur aliquot media ad tales distractiones vitandas; quæ vid. cit.

VII. Ex occasione thematis: *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo.*

Luc. xix. potest ostendi, quomodo hæc omnia in morte hominis præsertim peccatoris contingent. Et 1º Inimici circumdabunt vallo, nempe Damones, peccata, cura sæculares. 2º Coangustabunt undique, quia supra se videbit severum Judicem, infra se infernum aut purgatorium, intra se amicos, et bona deserenda, ante se mortem appropinquantem, post se judicium incertum. 3º Ad terram prosternent, id est, sepulchrum, ut esca vermium fiat. 4º Non relinquent lapidem super lapidem, quia omnibus suis bonis temporalibus, imo et spiritualibus, si in malo statu est, privabitur; quæ omnia vide fusiis apud Fabrum conc. 4.

VIII. Ex occasione thematis: *Videns Jerusalem flevit super illam;* potest ostendi, quod Christus quadruplicis generis lacrymas effuderit in vita. 1º In infantia lacrymas nature. 2º In morte, et resurrectione Lazari lacrymas amoris. 3º In fletu super Jerusalem lacrymas admonitionis. 4º In cruce, dum offerendo satisfactionem suam effudit lacrymas satisfactionis; ex quibus omnibus morales doctrinæ erucendæ, uti Forer. in hæc Dominica ostendit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, duplicis generis lacrymas effundi ab hominibus solere. 1º Bonas, quæ vel ex devotione, aut immoderato luctu super mortuos funduntur auditione verbi divini, vel ob peccata propria aut aliena, vel compassionem cum proximo elicuntur. 2º Malas, si ex dolo, et falso corde, aut invidia, pusillanimitate, aut desperatione, ex ira, aut immoderato luctu super mortuos funduntur; quarum ambarum utilitas vel damnum demonstratur. Vide For.

X. Ex occasione thematis: *Si cognovisset et tu;* ostendi potest, quantopere conducit ad vitam mediis institutendam novissimorum consideratio juxta illud Siracidis: In omnibus operibus tuis memorare novissimam, et in æternum non peccabis; id quod clarius per inductionem probari potest. Vide tit. Mors, Judicium, Infernus, Beatitude.

XI. Ex occasione thematis: *Domus mea domus orationis est;* ostendi potest, non tantum eam esse domum orationis, sed etiam reconciliationis pro penitentibus: instructionis pro audientibus verbum Dei, et jubilationis, ac laudis juxta Ps. lxxxvii. In Ecclesiis benedicite Deo. Unde excitentur Auditores ad templa ob hos fines frequenter, et devote visitanda. Vide Forer. l. c.

XII. Ex occasione thematis: *Cæpit ejicere in illo et ementes, et vendentes;* ostendi potest, quomodo triplici funiculo ejici debeant garrientes in templo, quorum primus est offensa Dei, quia blasphemia, sacrilegium, et idolatria committitur. Secundus offensa proximi, nimirum SS. Angelorum, et reliquorum cælitum, quibus hæc irreverentia summe displicet; hominum devotorum, quibus impedimentum, et dolor creatur; parvulorum, qui graviter scandalizantur. Tertius offensa propria, per jacturam favoris divini, meritorum, et benedictiones divine fame.

PRO DOMINICA X. POST PENTECOSTEN

I. *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent.* Luc. xviii. Potest ostendi, quomodo in templo sit orandum, scilicet cum quinque conditionibus a Psalmista Ps. xlvii. per vocem Psalite quinques repetitam indicatis, nempe per linguam distincte, per memoriam attentè, per intellectum intelligentè, per voluntatem affectuose seu devote, per corpus reverenter; ubi varii defectus contra hæc conditiones committi soliti enumerari, et castigari possunt. Vide tit. Oratio.

II. *Deus, gratias ago tibi.* Luc. xviii. Potest gratitudo erga Deum commendari; et 1º ostendi, ob quæ beneficia debeamus gratias agere. 2º Quomodo id præstandum sit. 3º Qui fructus inde sperandus; quæ omnia facile ex tit. Gratitude, demonstrari possunt.

III. *Non sum sicut cæteri hominum.* Luc. xviii. Ostendendum, cur nullus se aliis præferre debeat. 1º Quia alia sunt judicia Dei, quam hominum. 2º Quia de nostris nobis vitis, et peccatis constat, non autem de aliorum, cum interiora non cognoscamus. 3º Quia ignoramus, an permansuri simus in bono, si quod habeamus. Vide tit. Superbia, et Thom. Kemp. l. I. c. vii. et l. III. c. iv.

IV. *Qui se exaltat, humiliabitur.* Luc. xviii. Potest ostendi quam nullus homo ullam causam superbiendi ob quodcumque donum habeat; de quo vide cit. tit. et fusiis in Instr. vii.

V. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. xviii. Potest humilitas commendari, et 1º ostendi, in quo consistat. 2º Rationes afferri, ob quas singulari studio exercenda sit; pro quo vide tit. Humilitas.

VI. *Descendit hic justificatus in domum suam.* Luc. xviii. Potest vis, et efficacia contritionis commendari, et 1º quidem ostendi, in quo consistat. 2º Quam viam habeat ad hominem justificandum, Deoque reconciliandum. 3º Quantopere ob varia pericula, et casus assuefacere se debeant homines ad illam crebro eliciendum, ut per ipsam defectum confessionis suppleant. Vid. tit. Penitentia, et Charitas.

VII. Ex occasione thematis: *Deus gratias ago tibi.* Luc. c. xviii. ostendi potest, cur gratiæ Deo devote persolvendæ. Quem in finem ob oculos poni possunt tot flumina in orbe creata, ut ab illis grates esse discamus, nam 1º sicut omnia flumina exeunt a mari, ita omnia beneficia proveniunt a Deo. 2º Sicut omnia flumina redeunt ad mare, et quasi cum gratitudine restitunt mari aquas, ita et homo per gratitudinem Deo sua beneficia restituere debet. 3º Sicut flumina intrans mare, ut iterum fluant; ita homo gratus esse debet pro beneficiis, ut nova recipere mereatur. Pro quo conceptu vide tit. Gratitude.

VIII. Ex eodem titulo ostendi potest, quod Deus omnia beneficia *optimo modo* contulerit, videlicet in creatione dando intelligere veluti optimum essendi modum: in Redemptione totum sanguinem, et vitam profundendo, cum unica gutta sufficisset: in Eucharistia totam divinitatem, et humanitatem hominibus communicando: in Justificatione gratiam velut præstantissimum Entis genus infundendo, cum sola voluntas sufficisset: in glorificatione visionem beatificam conferendo, cum mille alios modos obsequia nostra compensandi habuisset. Unde inferatur, quod deceat etiam modo optimo gratias agere, scilicet omnes gratitudinis gradus implendo, id est, cogitatione, verbo, et opere gratias agendo, seu agnoscendo, laudando, et serviendo perfectissime. Vide tit. Gratitude.

IX. Ex occasione thematis: *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent;* ostendi potest, quid in templis agendum, scilicet 1º Silendum. 2º Sensus custodiendi. 3º Vigilandum, et non dormiendum. 4º Corpus debite componendum. 5º Orationi vacandum. 6º Finis officiorum divinatorum expectandus. Vide Fabrum conc. 2.

X. Ex eodem themate ostendi potest, qua præparatione ad templum sit accedendum, scilicet 1º Corde contrito. 2º Cum exclusione curarum domesticarum. 3º Cum humilitate.

4^o Cum bona intentione. 5^o Cum debita tempestivitate. Vide Fabrum conc. 1.

XI. Ex occasione thematis: *Qui se exaltat, humiliabitur*: potest ostendi, quod neque 1^o Sapiens ob sapientiam suam; nec 2^o Dives ob divitias suas, etiam spirituales seu operâ bona; nec 3^o Fortis in dignitate, et potestate magna constitutus ob fortitudinem suam, gloriarî possit, sed ob hoc solum, quod sciat, et noscat, et amet Deum. Vide tit. Humilitas.

XII. Ex occasione thematis: *Qui se humiliat, exaltabitur*: potest ostendi, quomodo humiles exaltat Deus, dando ipsis nomen, et æstimationem, apud cœlestes, terrestres, et inferos; que omnia facile per varias S. Scripturæ, et SS. Patrum sententias historicasque probari possunt. Utî suo loco videre licet.

PRO DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

I. *Adducunt ei surdum*. MARC. VII. Ostendi potest paucos quidem esse surdos corpore, multos autem spiritu, ac proin hos in hac concione adducendos, et curandos esse. 1^o Igitur dicatur aliquis surdos esse in audiendo Deo vocare ad certum statum, quæ surditas præ cæteris periculosa est; quia hi audiunt quondam illud Prov. 1. Quia vocavi vos, etc. 2^o Alii surdi sunt in audiendo verbo divino, dum vel omnia non audiunt, vel non fructuose audiunt. 3^o Alii in audienda voce Superiorum, dum non obediunt. 4^o Alii ad correptiones sive voce, sive flagello factas; qui omnes proin, quomodo surditatem hanc deponere debeant, ostendatur. Vide tit. Obedientia, et tit. Verbum Dei.

II. *Adducunt ei mutum*. MARC. VII. Pariter varii muti adduci, et curari possunt. 1^o Muti in templo, dum orandum est. 2^o Muti in cathedra, dum concio habenda, et vitia increpanda. 3^o Muti in confessionali, dum peccata explicanda. 4^o Muti in veritate dicenda, quando opus est ad propriam vel alienam correctionem. Vide tit. Mendacium, tit. Confessio, tit. Acceptio personarum.

III. *Solum est vinculum linguæ ejus, loquebatur recte*. MARC. VI. Potest ostendi, quam necessarium sit modus recte loquendi, et in quo consistat; de quo vide tit. Lingua.

IV. *Deprecabantur eum, ut imponat illi manum*. MARC. VII. Potest ostendi, cur Christum assidue deprecari debeamus, ut linguam

nostram curet, ob varia damna, quæ ex lingua male custodita oriuntur variis personis; quæ vide tit. Lingua.

V. Ostendi potest, quomodo quilibet ipsomet vinculum linguæ solvere, et ut recte loquatur, efficere queat, per media tit. cit.

VI. *Bene omnia fecit*. MARC. VII. Potest doceri ars auri conficiendi, bona opera; quem totum conceptum vide tit. Intentio bona.

VII. Ex occasione thematis: *Adducunt ei surdum et mutum*. MARC. C. VII. ostendi potest, quomodo quisque proximum suum ad Christum, ut curetur, adducere debeat, scilicet oratione, verbo, et exemplo, juxta illud S. Bernardi ep. c. Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio, hæc namque operi et voci gratiam et efficaciam tribuit Dei. Ostendatur, cur cum dicto modo adducere debeat, scilicet 1^o Quia voluntas Dei et Christi id exigit. 2^o Quia Christianum tamquam Fratrem id decet. 3^o Quia dignitas et utilitas operis id suadet. Vide tit. Zelus, item Fabrum in Sylva them. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Loquebatur recte*: ostendi potest ex ipsa linguæ structura, quomodo recte loquendum sit. Nam 1^o Lingua radice in corde habet, ut corde consentiat. 2^o Unica est, ut loquaris parce. 3^o In ore calido est, ut spiret ædificationem et amorem. 4^o In ore et humido est, ut loquaris, postquam audieris, circumspexeris, et docueris teipsum. 5^o Ori quasi carceri inclusus est, septa duplici vallo dentium et labiorum, ut raro, et considerate loquaris; vide Fabrum in Sylva th. 4. et tit. Lingua.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quando tacendum sit, nempe 1^o quando nullus fructus speratur. 2^o Quando arcana sunt credita. 3^o Quando sermo proximo est nocivus. 4^o Quando beneficium alteri collatum est. 5^o Quando propria causa agitur. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

X. Ex occasione thematis: *Adducunt ei surdum*: ostendi potest, quinam malè sint surdi, et curatio egeant, nempe 1^o Qui bona consilia et correctiones non audiunt. 2^o Qui verbo Dei aures ocludunt. 3^o Qui litigantium causas non audiunt, vel expediunt. 4^o Qui veniam petentes audire nolunt.

XI. Ex occasione thematis: *Bene omnia fecit*: ostendi potest imprimis hoc elogium esse omnium præstantissimum, cum juxta ascetas summa christiani perfectio sit, quotidiana opera bene perficere. Dein ostendatur, quid requiratur, ut bene fiant, nempe 1^o Ut

cum bona intentione fiant. 2^o Ut studiose et hilariter peragantur. 3^o Ut fortiter et constanter fiant. 4^o Ut in grates Dei fiant. Vide Rodrig. tr. 2. Item tit. Perfectio et Fabrum conc. 5.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Deus omnia bene faciat, id est, ad salutem hominum dirigit, idque probetur 1^o Ex Scriptura dicente, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 2^o Ex SS. Patribus dicentibus, Deum omnia tam bene facere, ut melius non possit. 3^o Ex ratione cum enim bonitate Dei sit infinita, optima eum facere necesse est. 4^o Ex experientia multarum historiarum, quæ tit. Resignatio videre licet; unde inferatur quod hoc fundamentum singulariter conducit ad summam voluntatis sue cum divina conformitatem, animique tranquillitatem obtinendam.

PRO DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN

I. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. LUC. X. Ostendi potest, cur Deus sit ex toto corde amandus, quia scilicet in eo tamquam fonte infinites melius reperuntur cause amoris ab Ethnicis assignari solite, videlicet pulchritudo, bonitas, similitudo, amor; quæ omnia facile ex iis, quæ in tit. Charitas et tit. Deum dicuntur, demonstrari et probari possunt.

II. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. LUC. C. X. Possunt imprimis rationes demonstrari, quare proximus sit diligendus, de quibus vide tit. Dilectio Proximi § 13. n. 9. et § 40. Deinde vero regula gemina dari, juxta quam hic amor exercendus est, quæ vide tit. cit. § 1. V. Actus.

III. *Hoc fac et vives*. LUC. C. X. Potest ostendi necessitas dilectionis Dei et proximi conjungendæ, pro qua vide tit. cit. § 3 à n. 26. Subinde possunt explicari potiora officia dilectionis proximi, prout tit. cit. § 12. n. 9. indicantur.

IV. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho, et incidit in latrones*. LUC. Possunt mali socii latronibus comparari, prout eos S. Bernardus vocavit, simulque ostendi, quanto pejores sint latronibus corpus occidentibus, de quo vide tit. Societas.

V. *Affligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum*. LUC. X. Ostendi potest, quomodo correctio et sanatio proximi exereeri, et effi-

cacia cum suavitate conjungi debeat, de qua vide tit. Dilectio proximi § 3. à n. 46 et § 42. n. 40 et § 43 n. 1.

VI. *Et viso illo preterivit*. LUC. X. Ostendi potest quinam veri amici censendi sint, quod quidem colligi potest ex actibus ad veram amicitiam requisitis, quos tit. Amicitia § 1. n. 3 et seq. indicatos vide, et pro amplificatione ac probatione, quæ subsequuntur, lege.

VII. Ex occasione thematis: *Diliges Dominum Deum tuum*. LUC. X. declarari possunt tres præcipuæ cause, cur Deus diligere debeat. Nimirum 1^o Quia Deus est fons omnium boni, in quo omne bonum purius, recentius et abundantius invenitur. 2^o Quia iustus est, id est, omni propter te et tuam utilitatem fecit. 3^o Quia Dominus est, et continuus benefactor, te creans, conservans, protegens, nutriendus, præmiandus, et quidem excellenti modo. Vide Fabrum in Sylva them. 2 et nos.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, in quo consistat vera dilectio, nempe in purissima intentione faciendi omnia propter beneplacitum Dei, et operatione totis viribus facta; hinc enim Sponse dixit: Pone me ut signaculum super cor tuum, et signaculum super brachium tuum. Seu in faciendo, quæ ipsi magis placeant, quomodo magis placeant, et quia magis placeant. Vide tit. Charitas.

IX. Ex eodem themate possunt ostendi duo charitatis officia per pulsum Arteriæ; ut enim hæc duplicem habet motum, unum, per quem putridum aerem repellit; alterum, per quem recentem aerem attrahit; ita charitas per unum motum creaturas à corde repellit; et per alterum ad se trahit Deum, et per illum vivit. Vide tit. cc.

X. Ex occasione thematis: *Proximum autem sicut teipsum*: ostendi potest, quomodo quis proximum sicut seipsum diligere debeat, nimirum servando regulas à Deo et natura præscriptas: quod tibi vis fieri, etiam alteri facias, et quod tibi non vis fieri, alteri non facias: quæ regulæ aptis instantiis sunt illustrandæ, et exemplo pulchro in append. Speculi magis ex 12. confirmandæ sunt. Vide etiam Dilectio proximi.

XI. Ex eodem themate declarari possunt causæ, cur proximus sit diligendus; nempe 1^o Quia est imago Dei, quidquid proximo conferitur, sibi factum reputantur. 2^o Quia est membrum corporis mystici sui Ecclesiæ, cujus caput Christus est. 3^o Quia frater noster eodem Christi sanguine renatus, et cœli coheres. De quibus vide tit. cit.

XII. Ex eodem themate potest alia regula dari, ut scilicet diligatur proximus, sicut Christus cum dilexit, videlicet 1^o *Prudenter*, præmittendo bonam intentionem diligendi eum propter Deum. 2^o *Universaliter*, omnes æquali amore diligendo; pro omnibus enim mortuus est. 3^o *Efficaciter*, salutem illius procurando etiam cum sanguinis et vite profusione. 4^o *Constanter*; cum enim dilexisset suos, in finem usque dilexit, teste S. Joanne. Vide cit. tit. Dilectio proximi.

PRODROMICA XIII. POST PENTECOSTEN

I. *Levaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.* Luc. xvii. Potest Luxuria lepræ comparari. 1^o Quia deturpat et commaculat corpus. 2^o Quia est hæreditarium peccatum, ut lepra. 3^o Quia est difficillimè curationis, ut lepra. Hinc optimum medium recursus ad Deum, juxta exemplum Salomonis. Sar. viii. Et ut scivi, etc. Deinde ad Christum in SS. Eucharistia; nam duo hoc sacramentum operatur in nobis etc. Vide tit. Eucharistia § 3. n. 15. et ad B. Virginem, quæ solo olim aspectu amorem castitatis instillavit. Vide tit. Luxuria.

II. *Itē ostendite vos sacerdotibus.* Luc. xvii. Confessionis necessitas, utilitas et jucunditas demonstrari potest; simulque excusationes vel cause absterrentes refutari. Vide tit. Confessio § 40 et 41.

III. *Unus autem, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Luc. xvii. Potest gratitudo persuaderi, et 1^o illius gradus explicari, dein motiva ad eam impellentia proponi et commendari. Vide tit. Gratitudo.

IV. *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo?* Luc. xvii. Potest ostendi quantopere vitium ingrati animi displiceat Deo, et hominibus noceat; simulque unum aut alterum medium, præsertim exemplum brutalium, subministrari ad tale vitium devitandum. Vide tit. Ingratitudo.

V. *Cecidit ante faciem ejus gratias agens.* Luc. xvii. Possunt fructus gratitudinis ostendi, præsertim autem, quod sit optimum et efficacissimum medium ad nova et plura beneficia impetrandum, id quod testimonio S. Scripture, SS. Patrum, exemplis, similitudine fluviorum ad mare recurrentium, ut iterum fluant, et nostra ipsorum consuetu-

dine, qui illis libentius, quos gratiores esse cognoscimus, probari potest. Vide tit. Gratitudo.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quibus potissimum grati esse debeamus, videlicet 1^o Parentibus. 2^o Præceptoribus, qui dederunt bene esse. 3^o Benefactoribus, 4^o Inimicis et persequentibus nos, quia sunt virga Patris celestis castigantis, et dant occasionem virtutum et meritorum, uti argumenta in disputatione. Vide cit. tit. Gratitudo, et tit. Pietas in Parentes. Item Fabrum hic conc. 2.

VII. Ex occasione thematis: *Occurrunt illi decem leprosi.* Luc. xvii. potest peccatum mortale lepræ comparari. 1^o Quia gravem fetorem creat, ut lepra; hinc Angelus quondam coram peccatore transiens nasum compressit. 2^o Quia foede commaculat animam, ut lepra corpus. 3^o Quia exosum est Deo et justis, sicut lepra sanis, hinc etiam separationem ab utriusque perpetuam inducit. 4^o Quia difficilis est curationis, ut lepra. Vide tit. Peccatum mortale. Item Fabrum in Sylva.

VIII. Ex occasione thematis: *Itē, ostendite vos sacerdotibus:* possunt refutari excusationes, ob quas aliqui horrent se confessariis ostendere, quarum prima est erubescencia. Secunda timor infamiae apud confessarium incurrendæ. Tertius horror penitentiae imponendæ, et reprehensionis patendæ. Quartum desperatio emendationis. De quibus vide Fabrum in Dom. 3. Quadrag. Conc. 6.

IX. Ex eodem themate potest ostendi, quoniam non vere se ostendant sacerdotibus, videlicet 1^o Qui tantum in genere se accusant, ut heretici solent. 2^o Qui peccatum aliquod grave voluntarie committunt. 3^o Qui debitas circumstantias non expriment. 4^o Qui sine debito dolore confitentur. Vide Fabrum in Dom. 3. Adventus conc. 7. et nos suo loco.

X. Ex eodem themate potest ostendi, quod frustra homines difficilem sibi confessionem imaginantur, cum multis ex capitibus ejus facilitas demonstrari queat. 1^o Respectu expiationum ab aliis nationibus peragi solitarum. 2^o Respectu tribunalis mundi. 3^o Respectu damnationis æternæ. 4^o Respectu vermis conscientiae. 5^o Respectu fructus ex ea percipi soliti. Vide Fabrum in Dom. 3. Adv. conc. 6.

XI. Ex occasione thematis: *Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo?* ostendi possunt, et declarari ingrati tudinis gradus, quorum primus est oblivisci beneficium. Secundus debitum sibi beneficium

reputare. Tertius beneficia non Deo, sed alteri auctori adscribere. Quartus omnino illud repudiare. Quintus in injuriam benefactoris convertere, et malum pro bono rependere. Quorum proinde graduum turpitudine et indignitas ulterius demonstratur. Vide Fabrum conc. 1.

XII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quanta mala incurrat ingratus, nimirum. 1^o Malum maledictionis. 2^o Malum infamiae. 3^o Malum culpæ. 4^o Malum poenæ; de quibus vide tit. Ingratitudo, et Fabrum conc. 3.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN

I. *Nemo potest duobus Dominis servire.* MATTH. vi. Potest ostendi, cum nemo possit duobus Dominis servire, per consequens etiam nemo mundo et Deo servire simul queat. Ostendatur ergo, quanto æquius sit Deo, quam mundo, servire, sive persona ipsa, cui servitur: sive mercis, quæ præstanda sunt: sive merces, quæ ab utroque promittitur, consideretur. Vide tit. Deus § 12 et tit. Mundus § 9 et 10.

II. *Non potestis Deo servire et Mammonæ.* MATTH. ix. Ostendi potest, quam grave sint impedimentum divitiæ ad serviendum Deo, eoque in finem dici, quod Mammona similitis sit Ægyptiis qui, ut Exod. c. v. legitur, opprimerent Israelitas laboribus, ne Deo servire et sacrificare possent. Exaggerentur ergo isti labores divitum, in divitiis acquirendis, conservandis, augendis, et ostendatur, quomodo a cultu Dei per orationem, sacrificia, et sacramenta usurpanda impediat, quamque adeo vere dixerit Servator. MATTH. xix. Difficile esse divitem in regnum celorum ingredi. Vide pro hoc scopo plura tit. Divitiæ.

III. *Nolite solliciti esse, quid manducetis.* MATTH. vi. Ostendi potest, qualem sollicitudinem hic veterit Dominus, scilicet eam, qua homo omnem fiduciam in sua industria, et viribus ponens, putat se non nisi proprio labore obtinere necessaria ad sustentationem posse; hæc enim cum Dei providentiam et fidelitatem ipso facto neget, non potest non ei summoque displicere, uti ex exemplo de duobus operariis, quorum alter nocte diuque laborans vix necessaria obtinebat, alter quotidie SS. Missæ sacrificium audiens et moderate laborans ditescerebat, patet. Ostendatur ergo ulterius, quæ sit moderata et licita

sollicitudo, nempe ea, quæ ante omnia a Deo debitum cultum et servitium præstat, postea ordinaria media statui suo convenientia sedulo et cum quiete adhibet, et de reliquo omnem sollicitudinem Deo committit, quæ omnia possunt exemplo Jacobi Patriarchæ singularem a Deo benedictionem obtinens, ut ex c. 30. et seq. Gen. patet, confirmari. Vide tit. Spes et Fabrum conc. 9. n. 4.

IV. *Quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* MATTH. vi. Possunt hæc verba optimis litteris sensualibus comparari; quem conceptum late explicatum vide cit. tit. Spes.

V. *Nonne anima plus est, quam esca?* MATTH. vi. Potest in primis animæ, atque exinde ipsius etiam hominis præstantia demonstrari, et ex Psalmo viii probari, quod omnes reliquæ creaturæ ipsi velut Domino sint subjectæ. Ex quo postea inferri potest, quantam hic titulus fiduciam illi ingenere debeat; si enim Deus aves, lilia et alias creaturas tanta cum providentia nutrit, quæ credere possit, eum sua providentiam homini, propter quem hæc omnia conservat, negaturum? Ostendatur ergo, quam provide Deus omnibus animam vegetativam aut sensitivam habentibus necessarium nutrimentum concedat. Vide tit. Spes et tit. Anima.

VI. *Respiciite volatilia cæli.* MATTH. vi. Ostendi potest, quod vel ab avibus discere debeant homines, quomodo se gerere debeant in iis, quæ ad necessariam sustentationem pertinent. 1^o Moderate querere suam sustentationem, et de reliquo se divinæ providentiæ absque inordinata sollicitudine committere. 2^o Contenti esse cibo et potu, quem Deus submisit. 3^o Iisdem non immoderate uti, sed quantum ad conservationem vite est necessarium. 4^o Gratias debitas diligenter pro victu persolvere, sicut aves cantant post sumptam escam. Vide tit. Gula, et Ebrietas, et Ingratitudo.

VII. Ex occasione thematis: *Nemo potest duobus Dominis servire.* MATTH. vi. Ostendi potest, cur Deo potius, quam mundo serviendum. 1^o Ob potentiam et dignitatem, quæ omnes terrenos dominos infinite excellit. 2^o Ob sapientiam, quæ sapientissime regit subditos. 3^o Ob liberalitatem, qua providet suis famulis, ejusque præmium maximum largitur.

VIII. Ex occasione thematis: *Nolite ergo solliciti esse:* ostendi potest, quæ sollicitudo

sit fugienda, nimirum 1^o Ne solliciti simus de temporalibus cum desperatione divini auxilii, scit enim Pater, quia his omnibus indigetis. 2^o Ne simus solliciti præsumptuose putantes, quod omnia necessaria viribus propriis obtinere valeamus. 3^o Ne solliciti simus de futuro tempore, sed ad præsens attendamus, hinc dixit Christus: Nolite solliciti esse in crastinum. 4^o Ut non simus solliciti cum jactura spiritualium bonorum; hinc idem Christus dixit: Querite primum regnum Dei. Vide de his plura ad Fabrum conc. 9. lit.

IX. Ex occasione thematis: *Respicite volatilia caeli*; ostendi potest, quid ab avibus discere debeamus, nimirum 1^o Ut non nimis solliciti simus de victu, aliisque necessariis. 2^o Ut cibo potuque, quem Deus submittit, contenti simus. 3^o Ut non plus sumamus e cibo et potu, quam natura exigit. Vide Fabrum conc. 4.

X. Ex eodem themate certæ aves variis personis exemplum proponi possunt. Et 1^o Quidem Clericis passer Canarius cum lemmate: *Sic psallere pulchrum est*, ut discant potissimum suum munus esse Deo psallere. 2^o Reipublicæ apes, cum lemmate: *Sic vivunt cives*, unde discant magistratus sine aculeo regere, subditi vero apum more obedientes esse superioribus. 3^o Conjugatis turtures, cum lemmate: *Sic vivere discite sponsi*, nimirum caste et sine felle iracundia. 4^o Juvenibus ramum, cum lemmate: *Viridi ne credito ramo*, ut discant hilares quidem esse, sed simul cauti, ne capiuntur et ideo alieno malo sapiant. 5^o Famulis et ancillis alaudam, cum lemmate: *Sic pulchre queritur esca*, ut discant labore in altum per mentis elevationem in Deum elevari. Vide Fabrum.

XI. Ex occasione thematis: *Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus*: ostendi possunt septem tituli, ob quos Deus tenetur necessaria suppeditare regnum Dei querentibus, nimirum 1^o Quia creatura est principalis, ob quam reliquæ sunt create. 2^o Quia homo sanguine Christi redemptus. 3^o Quia Christianus est membrum electi populi non gressibus corporis, sed morum sequens Christum. 4^o Quia servus fidelis et prudens, atque adeo super omnia bona constitutus. 5^o Quia amicus, cui cum Deo omnia communia sunt. 6^o Quia filius coeli hæres. 7^o Quia sponsa dilecta, cui non dimidium regni, ut Esther, sed totum regnum promissum est.

XII. Ex occasione thematis: *Scit enim Pa-*

ter vester, quia his omnibus indigetis: ostendi et declarari possunt officia Patris, quæ erga nos Deus exercet. 1^o Quod generet nos dando corpus et animam. 2^o Quod nutriat nos dando omnia necessaria corpori et animo, præcipue cibum Corporis sui et verbi divini, ac voluntatis suæ cum potu Sanguinis sui. 3^o Quod educet nos honestissime, verbo et exemplo nos instruens in scientia honestissima et utilissima amandi Deum. 4^o Quod defendat nos, ut nemo nocere possit, nisi volentibus. 5^o Quod hereditatem amplissimam et perpetuo duraturam provideat. Unde excitandi Auditores ut vicissim filiorum officium per tenerum amorem et timorem, per filialem fiduciam, et perfectam obedientiam exacte præsentent. Vide Fabrum conc. 9. litt. P.

PRO DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

I. *Ecce defunctus efferebatur*. Luc. vii. Potest ostendi, per quæ potissimum vitia mors hominibus acceleretur, nempe per crapulam, luxuriam, iracundiam, et accediam, id quod facile de singulis demonstrari potest ex iis, quæ de his vitis tituli. Acidia, Gula, Iracundia, Luxuria sunt dicta.

II. *Noli flere*. Luc. vii. Ostendendum quomodo auditores se in morte charorum amicorum gerere debeant, nempe 1^o Non immoderate turbari aut flere, cum sive ex parte providentiæ Dei hanc mortem permittentis; sive ex parte mortui jam celo forte recepti: sive ex parte sua, qui immoderato luctu nocent corpori, animæ, fortunæ, famæ suæ, nullas habeant causas lugendi, unde exemplum Davidis lib. II. Reg. xi. sequendum. 2^o Precibus potius, quam pompa fanebri, aut flebilibus succurrere. 3^o Salutaria proposita concipere, illud maxime Eccl. xxxviii: Memor esto iudici mei, quia sic erit et tuum; unde præ omnibus decernendus usus mediatorum ad felicem mortem obtinendam conducendum. Vide tit. Mors, Fabrum conc. 6.

III. *Et turba civilitatis cum illa*. Luc. vii. Ostendi potest, cur mortui liberent ad sepulturam comitandi sint, nimirum quia Deo hoc obsequium valde gratum est, utpote qui sibi præstitum reputat, quod uni ex minimis factum est, sed quia utile valde iis, qui comitantur, ut patet in Tobia cap. i. et xi, et

tandem valde conveniens, cum ipsa animalia non raro hoc officium præstitisse legantur. Dein ostendatur, quomodo comitari debeant, nempe juvando precibus, et salutaribus cogitationes, et proposita pro nobis concipiendi. Vide tituli. Mors, et Fabrum conc. 8.

IV. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Luc. vii. Potest ostendi, cur mors a Deo decreta, et salutare ex causis illis doctrinas erui, de quibus vide cit. tit. Mors, et Fabrum hic conc. 2.

V. *Accepti autem omnis timor*. Luc. vii. Possunt Auditores ad sanctum Dei timorem concipiendum excitari ob commoda, quæ ex tali timore reportant, maxime, quod sicut P. Araozium Societatis Jesu Sacerdotem innoxium in aula degere fecit, ita idipsum civis homini in orbe degenti præstet. Vide tit. Timor et Fabrum conc. 1.

VI. Ex occasione thematis: *Ecce defunctus efferebatur*. Luc. vii. possunt motiva ad expectandum mortem proponi, nimirum 1^o Quia immunitatem a peccatis, tentationibus, evasione multorum laborum, hominibus præstat. 2^o Quia est transitus ad meliorem vitam; nam justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 3^o Quia est debitum omnibus solvendum, quis autem non optet grandi debito liberari? Vide tituli. Mors.

VII. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad timendam mortem, nimirum quia 1^o Est certissima quoad substantiam. 2^o Incertissima quoad tempus. 3^o Acerbissima quoad presentiam. Vide cit. tit.

VIII. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad considerandam mortem 1^o Quia facit facilem mortem, hinc Seneca ait: « Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut, si ita res tulerit, possis illi obviam ire. » 2^o Quia facit, ut bene moriamur, uti Sanctus Augustinus advertit, dicens: « Mors omnium vitiorum peremptoria est, atque adeo sicut bene vivere, ita et mori bene. » 3^o Quia a diaboli tentationibus liberat, sicut perdecis, ut acupis effugiant insidias, gleba terræ se contegunt. 4^o Quia ad gaudium in morte disponit, nam, teste Sancto Cypriano, non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum. Vide cit. tit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quæ sit optima præparatio ad mortem, illa nempe quam Christus ipse Marc. xiii. indicavit dicens: Videte, vigilate, orate, nescitis enim,

quomodo tempus sit, ubi per verbum *Videte* indicatur memoria mortis; nam, teste Sancto Gregorio, sic mors ipsa, cum venerit, vincetur, si prius, quam venerit, ipsa timeatur. Per verbum *Vigilate*, id est, ut idem Sanctus ait, in conditione mortalitatis vestre oculos figite, veniente ad vos Judici per fletus quotidie et lamenta præparate. Per verbum *Orate* indicatur, tunc maxime esse orandum cum diabolus calcaneo insidiatur. Vide tit. cit.

X. Ex eadem occasione explicari potest alia præparatio ad mortem a Christo his verbis: *Sint lumbi vestri præcincti*, etc. indicata; quorum primo indicatur mortificatio delectationis, nam cinctura est lumborum, in quibus præcipue est motus delectationis venereæ, restrictio. Secundum per lucernas ardentes indicat operum fervorem, et dilectionem. Tertium per expectationem Domini, in vigilia juventutis, in secunda ætatis virilis, et tertia senectutis indicat.

XI. Ex occasione ejusdem thematis possunt varie questiones circa mortem proponi et resolvi, nempe 1^o Cur mors decreta a Deo. 2^o Cur eadem incertam esse voluerit. 3^o Cur multi tam immatura, et quandoque repentina morte occumbant. 4^o Cur justique quandoque tam acerbam mortem sustinere cogantur. 5^o Cur vita hominum modo tam brevis sit. 6^o Cur juxta Siracidem laudandi magis mortui, quam viventes; de quibus vide tituli. Mors, et Fabrum conc. 2. 3. et 4.

PRO DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN

I. *Et ipsi observabant eum*. Luc. xiv. Potest ostendi, cur judicium humana spernanda sint, quia nimirum temere agunt, qui ea timent, dum volunt effugere, quod nec ipse Christus potuit: *imprudenter*, dum timent a cæcis de colore judicari, cum solus Deus de internis judicare possit; et præterea tales nihil nocere possint suis iudiciis, etc. *noctie*, dum tales nihil bene agunt, ut Polycletus pictor ostendit, qui, dum in imagine membra juxta cujusque sensum pinxit, turpissimam imaginem fecit. Hinc merito S. Paulus I. Cor. iv. Mihi pro minimo est, etc. Vide tit. Judicium temerarium, et Thomam Kemp. I. III. cap. xxxvi. et xlvi.

II. *Et ecce homo quidam hydropicus erat*

ante illum. Luc. xiv. Potest avaritiæ vitium dissuaderi, et hydropi comparari, ob effectus similes, quos producit, quosque indicatos reperies tit. Avaritia.

III. *Ipsæ vero apprehensum sanavit eum.* Luc. xiv. Potest ostendi quomodo in primis contrahatur morbus hydropicus; dein varia media ad eum curandum proponi; de quibus vide cit. tit.

IV. *Si licet sabbato curare?* Luc. xiv. Ostendi potest, cur dies festi rite celebrari debeant, nimirum propter Deum et Sanctos, qui talibus diebus singularia beneficia, aut contulerunt, aut acceperunt; propter nos, ut Deum colere, varieque ab eo beneficia impetrare possimus; propter servos et bruta, ut quietem habeant a laboribus. Dein ostendatur, quomodo observandi sint, nimirum mature surgendo, mature templa frequentando, mature incipiendo orare aliaque facere, quæ illo tempore peragi debent. Vide tit. Oratio, et Fabrum hic conc. 2 et 3. ubi varii defectus diebus festis committi soliti castigantur.

V. *Cum vocatus fueris, recumbe in novissimo loco.* Luc. xiv. Ostendi potest, cur ultimus locus sit appellendus; nempe quia, cum quisque se minimum debeat astimare, convenientissimus est, deinde quietissimus, cur nemo illum eripere aut infestare velit; quia honorificentissimus, utpote Christo, et Sanctis proximis; et tandem quia aptissimus ad exaltationem, ut Christus in hodierno Evangelio ostendit. Vide plura tit. Humilitas.

VI. *Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.* Luc. xiv. Dici potest: Christum ideo toties convivia frequentasse, ut doceret modum christiane æ frequentandi; id quod fiet. Si 1^o ante convivium finis refectionis ob oculos habeatur, bona intentio formetur, oratio præmittatur. 2^o In convivio temperantia, modestia, dilectio proximi exerceatur. 3^o Post convivium gratiarum actio fiat, novum propositum bene propter Deum operandi concipiatur, et reliquæ colligantur tum corporales, dando eas pauperibus; tum spirituales, id est, salubres cogitationes de meliori cibo, et convivio animæ in æternum preparando, concipiatur. Vide tit. Temperantia.

VII. *Ex eodem themate: Silicet Sabbato curare?* Luc. xiv. possunt causæ, cur dies festi peculiari studio colendi sint, proponi; nimirum 1^o Quia Deus et Sancti tum prop-

ter suam dignitatem, et collata nobis beneficia id exigunt. 2^o Quia utilitas nostra tam quoad corpus et animam, quam rem domesticam id commendat. 3^o Quia etiam famuli et pecora ob quietem et virum conservationem id merentur. Ostendatur dein, quam merito Deus gravissimas de transgressoribus pœnas exegerit, quales plures tit. Sanctorum cultus, et festa legi possunt, uti et apud Fabrum conc. 1.

VIII. *Ex eodem themate ostendatur, quod Diabolus festis imitetur Pharaonem, qui, ne Israëlita Deo sacrificare possent, eos laboribus opprimi jussit.* Ostendatur itaque quod et Daemon variis laboribus et illicitis opprimere et a Festorum cultu impedire studeat. 1^o Laboribus manualibus non necessariis. 2^o Lusibus immoderatis. 3^o Computationibus nimis tam quoad quantitatem, quam durationem. 4^o Saltationibus indecentibus. 5^o Conversatione noxia, et immoderata. 6^o Otio non necessario; quæ omnia, quoties liceant, clarius explicandum. Vide Fabrum conc. 3.

IX. *Ex occasione thematis: Cum intraret Jesus sabbato manducare:* ostendi potest, quid circa convivia sit observandum, nimirum 1^o Ut sint rara. 2^o Moderata, et non nimis sumptuosa. 3^o Ut sint honesta, nihil que contra decentiam agatur, aut dicatur. 4^o Ut sint charitativa, nullusque vel absens, vel præsens diceris vel detractionibus laedatur. 5^o Sint brevia, ne nobile tempus perdat. 6^o Sint pia per devotam orationem præmissam et subjunctam. Vide Fabrum conc. 6.

X. *Ex occasione thematis: Et ipsi observabant eum:* ostendi potest, quæ sint bonæ, et malæ observationes. Et bonæ quidem sunt 1^o Quando observantur aliorum virtutes pro imitatione, ut S. Antonius fecit. 2^o Quando ex officio observantur aliorum mores, ut corrigantur. 3^o Quando observantur aliorum opera admiranda potius, quam imitanda, ut Deus propter illa laudetur. Malæ observationes sunt 1^o Si aliorum vitia cum scandalo observentur. 2^o Si mores observentur, ut carpi queant. 3^o Si observentur actiones, ut alii propter respectum impediatur ab iis. Quarum proinde omnium observationum commoda vel damna fusius explicentur.

XI. *Ex occasione thematis: Recumbe in novissimo loco:* potest declarari, quomodo quis possit se maximum peccatorem aesti-

mare, nimirum 1^o Non per intellectum judicando se vere talem, cum certo supponere possit, plures graviores peccatores reperiri; sed 2^o Practice, optando, ut ab aliis perinde, ac gravissimi peccatores tractari solent, tractetur, hoc est, contemnatur, reprehendatur, persecutiones et odia patiat, aliisque modis inhonoretur; sic enim et Christus dixit, se esse opprobrium hominum et abjectionem plebis.

XII. *Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest in illis S. Pauli verbis: Exinanivit semetipsum etc. totum humilitatis compendium contineri; nam 1^o Dum dicitur formam servi accepisse, proponitur idea humilitatis. 2^o Per verba: Datum est nomen super omne nomen, ostenditur fructus humilitatis. 3^o Per verba: Hoc sentite, proponitur medium efficacissimum ad humilitatem acquirendam, scilicet exemplum Christi.*

PRO DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I. *Hoc est maximum, et primum mandatum.* MATTH. xxii. Ostendi potest, cur hoc sit mandatum maximum; de quo vide tit. Charitas.

II. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* MATTH. xxii. Ostendi potest, artem amandi Deum esse omnium dignissimam, utilissimam, jucundissimam et facillimam, uti ex cit. tit. Charitas facile probari potest.

III. *Ex eodem themate declarari potest, ex quibus indicis colligi possit, aliquem vere diligere Deum, nempe ex pulsa animæ, qui duplex est: unus, per quem expelluntur ex corde creature vel corruptus aer: alter, per quem attrahitur magis Deus, quantumque difficultates, et pericula intercedant. Explicentur ergo fusius hi duo actus, et cur quisque sedulo exercendus sit ostendatur. Vide citat. titul. Charitas, et titul. Concupiscentia.*

IV. *Ex eodem persuaderi potest, ut omnia sua agant ex amore Dei, ut dicere possint cum S. Augustino: Amor meus pondus meum; hoc feror, quocumque feror. Explicentur deinde commoda, quæ ex hac intentione reportantur, scilicet per illam actiones perfectius, jucundius, facilius, constantius peragantur. Vide titul. citat. Charitas, et titul. Intentio bona.*

V. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* MATTH. xxii. Ostendi potest, quomodo per amorem proximi lucrari possimus amorem Dei, Christi, Sanctorum, proximi, juxta illud Senecæ: « Monstrabo tibi amatorium sine herba, sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari, ama. » Vide tit. Dilectio proximi.

VI. *Ex eodem themate ostendi potest, quomodo quisque proximum ut seipsum diligere debeat; de quo vide tit. cit. Simulque unum, vel alterum medium offerri ad hanc dilectionem prompte constanterque exercendam; qualia cit. tit. præscribuntur.*

VII. *Ex occasione thematis: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* MATTH. xxii. ostendi potest. 1^o Quid sit Deum toto corde diligere, scilicet præter ipsam nullam creaturam in cor admittere; nam dilectus tuus, inquit Thomas Kemp. talis est natura, ut non velit alienum admittere, sed solum vult cor tuum habere. 2^o Quid sit ex tota anima diligere, scilicet omnes potentias animæ externas, et internas applicare ad id, quod ipsi summe placeat. 3^o Quid sit ex tota virtute amare, nempe vires suas omnes contendere ad ipsum amandum. 4^o Quid sit ex tota fortitudine amare, scilicet dicendo cum S. Paulo: Quis me separabit a charitate Dei? Vide tit. Charitas. Item Fabrum conc. 4.

VIII. *Ex eodem themate ostendi possunt motiva præcipua ad diligendum Deum, scilicet ea ipsa, quibus ethnicæ amorem excitari docent. Et 1^o quidem Bonitas, quæ infinita in Deo est, juxta illud: Ostendam omne bonum tibi. 2^o Pulchritudo, atqui in Deum desiderant Angeli prospicere. 3^o Similitudo, atqui homo creatus est ad imaginem Dei. 4^o Amor, atqui sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum, et cum eo omnia, daret. Vide plura tit. cit.*

IX. *Ex eodem themate declarari possunt indicia charitatis, quorum primum est, semper cogitare de dilecto. Secundum, semper cum illo conversari velle. Tertium, illi soli placere velle. Quartum, unum cum illo velle, et nolle. Quintum, paratum esse pro et cum illo omnia pati. Sextum, etiam imaginem ipsius, aliaque ad ipsum pertinentia, propter ipsum amare. Vide tit. cit.*

X. *Ex eodem themate explicari potest mandatum Dei Lev. vi. datum: Ignis semper in altari meo urdebit: et 1^o quidem probari, quam convenienter charitas igni com-*